SUMMO ADJUVANTE NUMINE!

DISSERTATIO MEDICA, ÆGRUM INCUBO LABORANTEM

SISTENS,

QUAM

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Nobilissimi & Excellentissimi,

DN. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

MED. DOCTOR. THEOR. P. P. MED. DUC. SAXON. S. R. I. ACAD. NATUR. CURIOS. ADJUNCTI,

Dn. Præceptoris, Patroni atque Promotoris studiorum suorum omni observantiæ cultu devenerandi,

Publicæ Philiatrorum censuræ submittit

IN AUDITORIO MEDICO,

Ad d. Decembris

RESPONSURUS AUTOR

GEORGIUS FRIDERICUS ÆPLINIUS, SERVESTA ANHALTINUS.

JENÆ,

ÆRE KREBSIANO M. DC. LXXVIII.

ſtro foro, certum quidem eſt, fieri illa in cerebro, ludente & præſidente phantaſiâ, aſt ſuccendicula, ut ita loquamur, ſeu materiale ſomnii non æquè hæret in ſublimi illâ arce. Plurimis id demonſtrare exemplis integrum foret, niſi cancellos, quos in conſultando præfiximꝰ nobis, transgredi dubitaremus, undè pauca ſufficient. In pollutione nocturnâ nemo negat, vaſa genitalia, imò, per conſenſum tamen ſolum & diſpenſationem ſangvinis, renes ſubjecti vicem obire, contingente nihilominùs ſomnio venereo. Memorabile non minus eſt exemplū nephriticorum, quale *Tullii* verbis eloqui lubet: Dicitur quidam, *inquit*, cum in ſomnis complexu venereo jūgeretur, calculos ejeciſſe. Video ſympathiam; viſum eſt enim tale objectum dormienti, ut id quod evenit, naturæ vis, non opinio erroris effecerit, *lib. 2. de divin. cap. 69.* Tacemus, qui pedem ignitum ſomniantes, illum mane ſequente gangrænoſum experti ſunt, &, alia. Ut igitur in his & ſimilibus duo concurrunt, focus, ex quo, humorum & ſpirituum ceu portitorum officio, ſomnium enaſcitur ac profurgit, & locus, in quo fovetur, & in actum deducitur, non obſtante, quod ipſæ cogitationes, v.g. venereæ, multùm & ibi conferre poſſint ad excluſionem perfectam; ita cauſam occaſionalem incubi & primum quaſi focum, primum ſubjectum & principale audebimus aſſerere thoracis limitaneos motores.

Per συμπάθειαν afficitur cerebrum, quod organum immediatum eſt cognitionis, ut *Exc. Wedel. part. 1. ſect. 4. theorem. 26.* docet, & pro generatione ſpirituum animaliū factum, monente *Galeno.* His igitur in officio turbatis neutiquam dubitandum, quin reliqua omnia naturæ munia averruncādæ extraneæ hoſticæ turbæ inſudent. Si verò

rò conſideremus, quomodo reſpiratio hoc loco læſa ſit& ſuffocatio immineat, an per ſe, an per accidẽs in incubo; non prius aſſerendum videtur, quia nec pulmonis obſtructio adeſt, nec libertas viarum imminuta, quin extendi ſatis poſſint; ſed poſterius, quatenus & ſangvis per ipſius parenchyma circulandus, &per arteriam pulmonalem adductus, per venas non legitimè repetit ſuos thalamos, & ſpiritus animales, motum primum largientes, non ritè illum promovent, ſed ventilabrum illud nerveum & muſculoſum, diaphragma puto, torpidius reddunt.

Accedit conſenſus muſculorum intercoſtalium, quò pertinet experimentum *Pecqueti*, Bartholino laudatum, qui omnibus aliis muſculis in pectore & abdomine penitus abſciſſis, ſi muſculi intercoſtales & diaphragma illæſa ſint, æque reſpirare animal, quàm ſi nullum eſſet vulnus, obſervavit.

MINUS PRINCIPALE, ſeu adæquatum SUBJECTUM eſt totius corporis peripheria, cum omnibus facultatibus, quæ à cordis motu dependent, idcircò hoc impedito & ſuppreſſo illæ ſtatim deliquia aut inordinationes ſubeunt, ceu eleganter hæc deducit *Williſ. lib. de anim brutor. p. 2. pathol. cap. VI. p. 201.*

CAUSA IMMEDIATA eſt influxus in nervos phrenicos & recurrentes impeditus. Ut enim ſine dubio à nervis phrenicis motus diaphragmatis & pulmonum animalis derivandus eſt, ita horum læſione influxu ſpirituum in thoracem impedito, & motum conſequenter differri, ſanguinis fuligines in exilium non proſcribi, ſuffocationem imminere, certum eſt. Recurrentes verò affectos eſſe, ex vocis diminutione concluditur.

Confirmat id inprimis experimentum in brutis factum

tum *Vesalii*, qui *de hum.corp. fabr. lib. 7. p. 827.* sibi observatum esse ait in canibus & porcis, si vivi aperiantur, & prope arteriam asperam ligentur nervi recurrentes, vocem amitti, si relaxentur, iterum redire, sin secentur, fieri exinde mutos; nec minus in hominibus, exemplo illorum, quibus v. g. improvide scrophulæ fuêre sectæ.

Impeditus verò hic spirituum animalium influxus est, non tam in origine utplurimum, nam nonnunquam id contingere posse vel concurrere ex abundanti largiemur, quàm in insertione, si enim prius illud contingat v.g. in dispositis ad apoplexiam, & incubo hinc ejusdem prodromo, fortiꝰ ipsum medullæ nervosæ principium quati necessum est, nec malum ita transiturum esse.

CAUSA MEDIATA PROXIMIOR, quoad *essentiam*, est vel humorosa vel vaporosa.

Humores accusandi veniunt potissimum serosi, in coagulum abiturientes, crassi, pituitosi, melancholici, quos & *Platerus*, *Fernelius*, *Arabes*, imò ipse *Sennertus lib. 1. p. 2. cap. XXIX. de incub. p. 590.* afferunt. Hæc saburra non omnium partium fermenta solum inquinat, sed spiritus animales etiã, remotè ab impuro hocce sangvine, proximè à spiritibus vitalibus, consequenter vitiosè elaboratis, ortum trahentes, ad actiones ineptos & tenebricosos reddit; unde oritur eclipsis intensior vel remissior, pro majore vel minore hujus hospitis accessione concipienda.

In gignendâ sævâ hâc progenie vapores quoq;, & inprimis è ventriculo ascendentes, multum valere, & ansam dare, ut dormientibus magis, propriè dictus incubus, quàm vigilantibus accidat, nullum dubium est; siquidem cruditates gas consimile acidum v. gr. ponticum, pituitosum de se spirant, unde ut asthma præcordiale à repletione primarum viarum oriri potest, ita & incubus promptè nascitur.

 Sin

Sin aliorum vota colligamus, varia iſta ſe offerunt.

J. B. Helmontius acidum peregrinum ventriculi & jus Duumviratus ſummæ poteſtatis accuſat.

Harvæiani στάσιν ſangvinis crudioris in pulmonum vaſis;

Sylvius ponticam & auſteram exhalationem ex conflictu humoris pancreatici, bilioſi & pituitæ ſtomachicæ.

Tachenius & *Swalbius* acidum cum alcali confligens in proſcenium adducunt.

Quoad *eſſendi modum*, peccant hi humores *quantitate*, id quod ex jam dictis patet.

Qualitate tum primâ, frigidâ, tum ſecundis & tertiis, unde nimis lenti, craſſi, vaporoſi, flatulenti, acidi, motu ſubſiſtentes, minus rarefactioni auſcultantes.

Denique *motu generationis & locali*. Generati fuere in infimo maximè ventre, hypochondriis, pancreate, meſenterio, ventriculo, inde ad ſecundam culinam promoti, tempore diſtributionis chyli, quieſcente magis corpore, nec conſequenter quaſi externo adjumento citati, in vaſis ſuis moras nectunt, cavitates replent & diſtendunt, adeoque munia vitalia remorantur. Ad tertiam quoque diditi vitia ſua affricarunt partibus ſingulis, ut adeò hic maximè verum reddatur aſſertum medicorum tritiſſimum, vitia coctionis primæ nõ corrigi in ſecundâ, nec in tertia, quod vix ullus morbus quàm hic noſter tàm evidenter patefacit. Vitia culinæ primæ adeſſe, partim à facultate læsâ, partim ab errore externo oriunda, ipſa hiſtoria loquitur abundè. In medio ventre id ſe exſerere, per ſupra dicta patet. In ſupremo quoque, poſitu illo, torpidior lympha poris cerebri imbibitur, & nervorũ ſexti inprimis paris principium quaſi gravat, unde non procedentibus portitoribus ſuis eluctari archeus conatur & moleſtiam illam patefacit.

Ex

Ex Supernaturalibus non dicemus quidem, aliquid ſubeſſe altioris regiminis, ægrumque magicis artibus vexatum talismodi ephialten pati, nihilominus tamen monebimus ipſum, an forte hujus rei occaſionem referre poſſit, cum, ut alia taceamus exempla, filiam propriam ſæpè incubo aliisve inſomniis horrendis correptã narret ex hâc causâ *Timæus lib. 7. de morb. malign. & venen. p. 329.*

Naturales quod concernit, temperamentum totius in humiditate & frigiditate naturaliter excedens reum facimus; Unde viſcera coctioni & depurationi deſtinata neutiquam officio præeſſe potuerunt. Obeſus inſuper corporis habitus, neceſſariam fuliginoſorum excrementorum per porulos cutis expulſionem non admittens, humoresque accumulans multum contulit.

Inter non-naturales primum tenet locum cibandi ratio. Hæc flatuum cruditatisque acidæ & pituitoſæ farraginem largè ſuggeſſit, ſi ſpectemus ſeu quantitatem ſeu qualitatem. Carnes ſalitas enim, piſces infumatos, caſtaneas, legumina & alia duriora negotium faceſſere ventriculo, chylum crudum & viſcoſum gignere, pituitam cumulare, & centena alia mala procudere tam notũ eſt, quàm notiſſimum. Fugerunt hæc caloris efficaciam, præſertim debilioris, qualis ratione temperiei & habitûs corporis adeſt, fugerunt menſtrui ſolventis vim, diutius innatarunt ventriculo & μόλυνσιν crearunt, vitioſam evaporationem condentem.

Somnus excedens non minùs cruditates gignendo, unde & mater pituitæ audit, maximum quoque huic ſymptomati dedit ſtimulum, mentis & ſenſuum facultates infregit, ſpiritus obnubilavit, humores pituitoſos accumulavit. Nec hoc ſatis fuit, quin longè magis deliquit decu-

bitu

bitu in dorſum facto. Hic quippe tùm alia affectuum genera, pollutionem nocturnam, gravitatem capitis, inſomnia varia producit, tùm ipſum hunc noſtrũ, imò apoplexiam quoque non raro ad ſe invitat, ſiquidem & in vaſis majoribus aortæ & venæ cavæ ramis hoc pacto magis incaleſcit ſangvis.

Retenta quoque ſuum ἐπιβάλλον μέρος addidêre, ſiquidem ſomno, cui indulſit, excretiones debitæ plus juſto protractæ, & cauſa hujus mali mirum quantum adaucta.

Par ratio eſt vitæ ſedentariæ, unde humores torpidos ſtagnare, & vappeſcere in vaſis oportuit; nec diſcuſſi ad cutis peripheriam fuêre, ſed langvido calore ſenſim dominium in corpore affectarunt.

Ex praeternaturalium claſſe primas obtinent inflatio ventriculi & hypochondriorum, unde motus diaphragmatis reciprocus, decumbente inprimis corpore, promoveri minus potuit, & affecti unà nervi promptè malum excluſere.

Imò huc ipſos quoque pavores referre licet, ſub primum ſomnum accidentes, vaporibus caput petentibus, hinc inde archeum irritantibus, & phantaſiam ex abrupto excitantibus, ſiquidẽ animus quaſi verberatur imminentis mali opinione, ut ſubtiliſſimus *Scaliger contra Cardanum exerc. 312. pag. 1003.* loqui amat. Utut enim in ſanis quoq; aliàs nonnunquam ſimile quid eveniat, nihilominus tamen cacochymicos humores & intentatam pororum repletionem in crebro in ægro noſtro facilè id quoq; notat.

Non mirum hinc eſt ſequentia enata ſymptomata, quorum jam ratio reddenda venit.

I. *Moles in præcordiis cum imaginatione ponderis alicujus incumbentis* à ſangvine, ob reſpirationis actum & diaphra-

phragmatis motum quasi suspensum, restitante & denegato vaporum circa regionem hanc coacervatorum exitu, arcessenda est, unde phantasiæ nunquam otiosæ à sensu communi sub specie gravantis oblata sunt illa. Ut enim aliàs ubi dolor, vel molestia consimilis, ibi morbus ; ita dum gravata sunt præcordia, offertur phantasiæ ille sensus, idquè cum confusè fiat cessante plenario sensus communis & primi judicio, hinc vetulæ, canis, hominis vel indefinita species objecta videtur.

2. *Movendi impotentiam* spirituum animalium, à quibus omnis dependet motus, causatur interpolatio, præcipuè somni nocturno tempore, dum placidâ quiete corpus reficitur, facta ab archei obnubilatione & cessante irradiatione per nervos, primum quidem in insertione, hinc & adæquatè in origine.

3. *Diminutio vocis* ob læsionem nervorum phrenicorum & recurrentium motoris inducitur.

4. *Tremor cordis & anxietas*, ob στάσιν sanguinis & consequenter ἀέρωσιν impeditam, dum quasi coagulatur in dextro cordis thalamo, ob circulationem à respiratione cessante intermissam, facta sunt.

5. *Debilitas capitis* à vaporibus sublimatis spirituum vigorem & motum debilitantibus irrepsit.

6. *Lassitudo totius corporis*, activitatem spirituum animalium imminutam, partim ob nocturnum laborem, partim ob humorum cacochymicorum abundantiam sequitur.

7. *Maculæ puniceæ* ex sangvinis στάσει salisque volatilis scorbutici exhalatione & sublimatione natæ & profectæ sunt. Nam nullus ferè unquam hoc symptomate affectus, scorbuto & præsupposito malo hypochondriaco non laborans, visus.

 Si

Si jam quid de eventu affectus hujus ſperandū, dicendū ſit, putamus ratione SALUTIS & MORTIS, reſpectu ſymptomatum quidem, cauſarum & ſubjecti, in minimis poni eundem non debere, & quoque periculoſiora facili negotio accidere poſſe; nihilominus tamen cum æger ſit juvenis, cum ab erroribus diætæ ortum duxerit, ſympathicus magis ſit, quoad cerebrum, naturæ robore conſtante, abiturum illum brevi, nec poſt ſe apoplexiam aliaquê graviora tracturum.

Et licet temperamentum ægri melancholico-phlegmaticum CHRONICUM quid importet, longumque tempus, ut ad diatheſin naturalem reducantur viſcera, requiri videatur, ipſe tamen affectus non moleſtas nectet moras.

MODUM EVENTUS deſignamus correctionem & diſſipationem materiæ vitioſæ, paulatinâ ſolutione, ut diſcuſſis halitibus vitioſis, correcto tono viſcerum, roboratis nervis ſuda omnia & ſerena compareant.

Cognitâ morbi indole ejusquè accidentibus, proximum erit, ut, quo filo CURATIO ſit ducenda, mente & animo volvamus. Auxilium ergò mittendum archeo & mora omnis interpoſita auſſerenda, quo citò, tutò, & jucundê ſibi contrarium expellere, palatium absque ullo impedimento pervolare, ſummaque imperia ſibi tradita adminiſtrare queat. Conſultius autem res tractari non poterit, quam ſi certâ methodo curationem proponamus, illisque obviam eamus indicationibus, quæ magis urgent. Indicatio verò triplex ſe offert, 1. CURATORIA morbum & ſymptoma, 2. PRAESERVATORIA cauſam, 3. VITALIS vires attendens.

Primò itaque cogitandum, quid in ipſo PAROXYSMO faciendum, ut facultatem excitemus, ſi, causâ nondum diſſipatâ, malum redeat. Hîc, quod vulgò ferê ipſi innotuit, ſua-

ſuademus, ut poſitus dorſalis excipiatur laterali, ut vellicatione inſuper corporis, & nominis in baptiſmo impoſiti compellatione non omiſsâ, excutiatur labor, & præſidium corpori ab archeo ſopito veniat. Hoc fine utroque, excitandi & diſſipandi, & FRICTIONES extremorum non negligendæ. Nam, verbis *Helmontii*, ſi protenus expergefiant ſomniatores, ſtatim quoque ceſſat incubus. Hæc ipſa verò circumvolutio in latus alterutrum, vel potius excitatio, non malum ideò levat, quod, ut idem contendit, hoc pacto ſtomachus (quem ſiniſtro latere cubantibus, quorſum os ſtomachi contortum eſt, omnia hæc & motum ſimul moderari vult) jus duumviratus exercere ceſſet, ſed quia hoc pacto liberius diſpenſantur ad organa motus ſpiritus, neque tâm prompte ab extrinſecis aliis obnubilantur, explicato magis archei imperio.

EXTRA PAROXYSMUM prima quidem occupat ſubſellia ex FONTE CHIRURGICO VENAESECTIO, generoſum remedium, multis ſatisfaciens indicationibus, attamen in noſtro ægroto minus uſui futura, ceſſante enim indicatione ceſſat & indicatum.

Venæſectionis tamen vicariæ CUCURBITULAE ſcarificatæ & ſiccæ ad revellendum & diſſipandum inſtitui poſſunt.

VESICATORIA ad eliciendum vitioſum humorem vel in nuchâ, vel pone aures proficua erunt.

FONTICULI, quia ſerum vitioſum expellunt, in brachiis vel cruribus in interſtitio muſculorum & inciſione & corroſivis fieri poſſunt, longius repetente morbo.

Nec minorem laudem merebitur nuchæ applicatum SETACEUM, tàm curandi quàm præſervandi intentione commendabile, ſi duro morbo durum quærendum remedium, quo tamen ſuperſedere nos poſſe ſperamus.

Ad PHARMACIAM hinc progredientes, ex quâ genero-siora maximè mutuari licebit præsidia, offendimus primò LENIENTIA. Hæc enim si quid aliud, proficua erunt, dum primas vias evacuant, sarcinam impuram aliorsum divertunt, & cacochymiam extra vasa potissimùm consistentem deplent.

℞. *cryſtall.* 🜿, 🜿. ⊕*lat.* ♂*al.* ã. ℈ß. *magiſt. gialap.* gr. ij.
🝆 *mac.* gtt. j. M. F. Pulvis. D. ad chartam. S.
Lindpulver uff einmahl.

℞. *elix. propriet. laxat.* ʒj. R*æ* 🜿*ri* ℈j. M. in vitro, S. Lindtinctur.

℞. MP. *aloet. D. D. Præſ.* ℈iß. *extract. calam. arom.* ℈ß.
M. F. l. a. Pilulæ minores S. Lindpillen.

℞. MP. *marocoſt.* 🜿*ear.* ã. ℈j. *extract. agar.* ℈ß. M. cum *elix. propriet. antiſcorb.* F. l. a. pilulæ.

CLYSTERES quoque insigniter huic scopo velificabuntur, successione quâdam hinc primas vias liberantes.

℞. *rad. fœnic. caryophyllat. irid.* ã. ℥ß.
herb. centaur. min. malv. ſalv. ã. mj.
fl. ſchœnanth. lil. alb. pæon. ã. p. iij.
ſem. fœnic. aniſ. aneth. ã. ʒj.
prunor. Damaſcen. n. vj. Coque in ſ. q. 🜄æ font. Colat.
℞. ℔j. adde 🝆. *chamom. rut.* ã. ʒvj.
hier. Logad. ℥ß. ⊖ 🜿*ri* ʒß. M. F. l. a. Clysma.

℞. *rad. pæon.* ℥j. *herb. beton. meliſſ. pariet.* ã. mj.
fl. primul. ver. mß. *ſem. carv. aneth.* ã. ʒij.
Coq. in aq. font. q. ſ. in Colat. ℥x. ſolv.
elect. hier. picr. Gal. ℥j. ⊖ *comm.* ʒj.
F. l. a. Enema, applicetur convenienter.

SUPPOSITORIA ex sevo & melle purgantibus admixtis eundem quoque præstabunt effectum.

Quantam PURGANTIA liquando & fundendo humores, naturamque stimulando & ad excretionem admonendo, ob acrimoniam ⊖no-🜍eam, magis vel minus volatilem, implicitam vel explicitam, in morbis chronicis præstent

præstent operam, ipsa loquitur experientia, verùm, ne empiricorum more ea propinemus omni jure præmittenda, quæ humorum qualitates caloris nativi actioni resistentes corrigunt, ita ut crassos humores attenuemus, viscidos & lentos incidamus, illosque fluxiles reddamus, quo eo melius aptari, colligi & excerni queant. Salutantur verò illa ratione officii PRAEPARANTIA seu digerentia.

℞. *croc. ♂t. ♀at.* ʒß. *fecul. pæon. rad. ari ppt.* ã. ℈j.
mag. lap. lazul. corall. ã. ℈ß. ☍ *mac.* gtt. j.
M. S. digestiv - Pülverlein auff viermahl.

℞. *~us aperit. Penot. lil. convall.* ã. ʒij.
M. S. Digestiv-Spiritus 40, 50, gtt. auff einmahl.

℞. *▽. lil. convall. c. v. fl. pæon. epilept. Lang. fumar.* ã. ℥j.
sirup. de hyssop. stœchad. Arab. ã. ℥ß.
mixtur. simpl. ʒj. *~us ceras. nigr.* ʒij.
M. D. in fictil. S. Digestivtränckleín uff zweymahl.

Subseqvuntur PURGANTIA ad educendos humores & mineram flatuum, pituitam cumprimis superfluam, unicè accommodata, neque enim tantam farraginem subigere æquè vel corrigere licet, nisi his utamur vectibus. Ex καταλεγμένοις exempli loco sequentia esse possunt.

℞. *pulv. laxat. veget.* ℈j. *magist. lapid. lazul.* ℈ß.
resin. gialap. scammon. ã. gr. iij. M. F. Pulvis.
S. Purgierpulver.

℞. *MP. ♀ear. Schrœd. extract. panchym. Croll.* ã. ℈ß.
resin. scammon. gr. v. ☍ *anis.* gtt. j.
elix. propriet. q. s. F. l. a. Pilulæ no. XV.
S. Purgierpillen auff einmahl.

℞. *mechoac. ppt.* ℈j. *extract. rhabarb.* gr. v.
conserv. pæon. ʒj. *sir. betonic. & sacch.* q. s.
F. l. a. Bolus. D. ad chartam. S. Purgierzucker.

Omnibus verò purgantibus palmam etiam hîc præripere videtur gialapa. Hæc enim incubum, verba sunt *Excell. D. D. Præs. in disput. de gialap. p. 24. cap. 12.* non semel sustulit, ubi præsertim causa in mesenterio hæret.

Non minus VOMITORIA seu purgantia ἀνωτερικὰ emolumentum adferent, præcipuè cum penitiꝰ radix mali insederit ipsis primis viis, quibus liberatis liberior diaphragmati patebit via, & cruditatum flatuumque minera in primâ, quod ajunt, herbâ suffocabitur, undè etiam tum alii, tum *Rolfinc. in epit. de aff. partic. cap. XVI. de incub. p. 63.* vel unico emetico sanitati restituerunt incubo laborantes. Ideoque nulli dubitamus, quin & in nostro ægroto magno cum emolumento ad evellendam materiam vitiosam adhiberi possint.

℞. ♀ *emetic. Mynf.* gr. iij. *conf. fl. persicor.* ℈j. *sacch.* q. s. F. l. a. Bolus.

℞. ⊖ ⊕li ℈j. *rad. asar.* ℈ß. D. ad chartam S. Brechpülverlein.

DIAPHORETICA absorbendo, fundendo & per αἰσθητὴν ἢ ἄδηλον διαπνοὴν eliminando serum, multis se commendant nominibus. Sola namque diaphoresis ad morbos quamplurimos, tùm avertendos, tùm curandos maximam promittit spem. Hac vi contrariorum inhibitâ haud exiguæ morborum catervæ corpus stipant; Ideoque quoniam hujus quoque præsens æger implorat auxilium, sequentia præscribimus.

℞. ♁ii *diaphoret.* ℈ß. *bezoard.* ☽r. gr. vj. M. D. ad chartam S. Schwitzpulver auff einmahl.

℞. *cinnab.* ♁ii gr. iij. *bezoard. miner.* ℈ß. c. *sirup. stœchad. Amb.* parum, M. F. bolus. D. in charta S. Schwitzzucker auff einmahl.

℞. ⊖. *fumar., absinth.* ā. ℈ß. *C. C. volat. fixat.* gr. iv. M. S. Schwitzsältzlein.

℞. ℞æ *bez.* ʒj. *essent. succin.* ʒß. ∼ ⊖ ✻*ci* gtt. viij. M. S. Schwitzessenz.

Nec DIURETICA suadere nolumus, medicamina scilicet, reserandis obstructionibus & abstergendæ amurcæ venarum,

venarũ,humoribusque fluxilibus reddendis,quæ ſingula in noſtro ægro occurrunt,quàm accommodatiſſima.

℞. *magiſt. oc.* ♋. ℈j. ⊖ *geniſt. cich.* ∼ ⊕*l. coag.* ã. gr. v.
°°° *ſuccin.* gtt. ij. M. F. Pulv. D. ad chart.
S. Harntreibendes Pülverlein auff zweymahl.

℞. ∼ *aperit. Penot.* ʒj. ⊖ *is* ʒß. M.
D. in vitro S. Harntreibender ∼. XV. gutt. auff einmahl.

Particularia etiam evacuantia, quæ vitioſos humores, pituitam inprimis, univerſalibus præmiſſis reſpiciunt, non ſeponenda; Hinc ex uſu erunt

Errhina & ptarmica, poſteriori & conſequenti, ſeu, ſi mavis comitanti cerebri vitio ſuccurrentia, quatenus ſtimulando pituitoſum in ambitu partium capitis collectum rejiciunt, adeoque & ipſam ſeri viſcoſitatem & coagulationem corrigunt.

℞. ▽*æ major.* ℥j. *pulv. euphorb.* ⊕*l. alb.* ã. gr. iij.
ambræ gr. ij. M. D. in fictili S. Waſſer zur Naſen.

℞. *pulv. fl. lil. convall.* ℈ij. *rad. irid. ſem. nigell.* ã. ℈j.
helleb. alb. g̃. v. *moſch.* g̃. j. M. F. pulv. D. in pyx.
S. Nießpulver.

Apophlegmatizonta, tùm ſolâ motitatione, tûm ſalinâ ſimul qualitate, aperiendo poros glandularum miliarium, in eundem finem humores in palatum detrahent, ut *nicotiana, lignum ſanctum, maſtiche, cubebæ, tinctura ligni ſancti ſ. & compoſita, apophlegmatiſmus Lauremberg.* &c.

Complementum tandem addunt Alterantia & confortantia, quæ cruditates pituitoſas, acidas, & gas peregrinum ſtypticum exhalans corrigunt, ventriculi & hypochondriorum tonum roborant, nec minus cerebrum ejusque incolas attendunt, unde magna præ aliis prærogativâ gaudere obſervantur.

℞. *rad. ari ppt. galang.* ã. ʒß. *pimpinell.* ʒj.
ſem. coriandr. aniſ. cardamom. ã. ℈ij.
cinam. cubeb. zingib. maſtich. ã. ℈iß.

 hepat.

hepat. rubr. ℈iv. *facch. Canarienſ.* ℥iij.
macis, cinam. ã. gtt. ij. M. D. ad ſcatulam.
S. Haupt und Magentriſenet.

℞. *trag. ſtomach. Qu.* ʒj. *conchar. margarit. ppt.* ʒß.
bezoard. ♂lis cachect. cinnab. nat. ã. ℈j.
cinam. gtt. j. M. F. l. a. pulv.
S. Magenpulver.

℞. *ſpec. aromat. roſat. diapl. Archont.* ã. ʒß.
pulv. epil. March. ʒj. *croc. ♂tis ⊖lat.* ℈j.
elæoſacch. ſalv. ℈ß. M. F. pulv. S. u. ſ.

℞. *ſpec. diambr. diamoſch. dulc.* ã. ʒß.
mag. perlar. corall. ſuccin. alb. ppt. ã. ℈j. M.
F. l. a. pulv. S. Hauptpulver.

℞. *ſpec. diapæon. Mynſ.* ʒj. *cinnab* ♁ii ℈j.
bezoard. ♂lis, lunar. ã. ℈ß.
ungul. alc. ppt. ʒß. *fragm. lap. 5. pret. ppt.* ã. gr. v.
elæoſacch. macis g. XII. M. F. l. a. Pulvis.

℞. R*æ corallior.* ♂. *Zvvelff.* ã. ʒj. D. in vitro.

℞. R*æ lunæ* ʒiß. D. in vitro, S. Stårck Tinctur.

℞. *elix. cephal. Rolf. ⊖l. Mynſ.* ã. ʒj.
eſſent. ſuccin. lign. aloes ã. ℈j. M.
D. in vitro. S. u. ſ.

℞. *~us ⊖l. epilept. ſtriat.* R*æ fl. pæon.* ã. ʒj. M.
D. in vitro S. u. ſ.

℞. *ſpec. lætificant. Gal. diamoſch. dulc.* ã. ʒij.
caryoph. cinam. cubeb. ã. ʒß. *mag. ebor. chryſol.* ã. ℈j.
amygd. dulc. ambroſ. excort. ʒß. *piſtac.* ʒiij.
conſ. lavend. pæon. ã. ʒj. *facch. albi ſolut. in* ▽ *pæon.* q. ſ.
M. F. l. a. Morſul. S. Kråfftige Hauptmorſellen.

℞. *conſ. anth. major. roſ. ⊖lat.* ã. ʒß.
ſpec. diambr. de gemm. cal. ã. ʒj.
cond. acor. ʒij. *theriac. Androm.* ʒj.
ſuccin. ppt. ʒß. *mag. perl. corall.* ã. ℈j.
fol. argent. n. iij. *ſirup. ſtœch. Amb.* q. ſ.
F. l. a. Electuarium. S. Lattwerge einer Meſſerſpitze groß zu gebrauchen.

Uti

Uti vero aliàs in praxi EXTERNA internorum sunt complementa, ita quoque non dubitamus ægro nostro commendare eadem.

Primum locum occupant AMULETA, quorum quædam citra superstitionem adhibita nō sunt de nihilo, exhalationibus suis seri correctionē adjuvantia; quædem verò ex vulgi commendatione adhibita minus voto satisfaciunt. Sectabimur magis priora, qualia sunt radices & quæ alia contra epilepticum malum commendantur, multò magis leviori quasi huic malo opem latura.

Hoc fine nec cucuphæ ad roborandum & confortandum deerunt.

℞. *fol. serpill. salv. pol. mont. puleg. fl. pæon. lil. convall. spic.* ã. ℈iv.
ladan. storac. calam. succin. benz. myrrh. ã. ʒj.
spec. diamosch. ℈j. *sem. anis. pæon. rut. lign. rhod.* ã. ʒß.

Concis. cont. M. F. l. a. cum sindon. rubr. cucupha cum interpassatione. Possunt etiam duæ, ut unâ noctu, alterâ interdiu utatur, confici.

BALSAMA quoque ad tempora, nares, bregma, nucham, scrobiculū cordis non erunt contemnenda, seu simplicia, seu ex compositis instar omnium apoplecticum.

DIÆTA, in recto & legitimo usu rerum sex nonnaturalium consistens, & ad curationem admodum necessaria, colophonem addit, quæ triplex est *naturalis, vitalis & animalis.*

In NATURALI CIBI sint concoctu faciles, vitentur fumo indurati, salsi, flatulenti & humido excrementitio pollentes; pane utatur fermentato, ne μώλυνσιν relinquat, & carminativis, semine anisi, fœniculi aliisve condito. Verbo: Quo hactenus usus, cane angueque pejus vitandus.

POTUS sit cerevisia probè defecata, nec nimis recens, nec vetusta nimis, nec vinum dissvadendum generosum, cum πέψιν valdè juvet.

In VITALI AER ambitu ſuo corpus afficiens purus, temperatus, ad calorem tamen propenſior, & ſvavibus odoribus, qui cum ſpiritibus immediatum, juxta *Helmontium*, habent contactum, alteratus cordi habeatur, contra ea frigidus, craſſus, caliginoſus, nebuloſus & incluſus exulet.

In ANIMALI MOTUS ſit mediocris, quô archeus excitetur, præſtat ante paſtum inſtitutus, à paſtu verò, quia chylum in vaſa præcipitat, meritò mater cruditatum dici meretur. QUIES verò ſeu vita ſedentaria eandem generat ſobolem.

SOMNUS ſit moderatus, ut naturam levet, non gravet. Decubitus obſervetur ſolicitè, ne dorſo & toto corpore, nec capite ſupinus & declivis dormiat, in quibus maximũ momentum curationis ſitum eſt. Nec ſolus dormiat, ſed fido Achate ſtipatus, qui in paroxyſmo ſuppetias miniſtrare poſſit.

ANIMI AFFECTUS vehementiores, ira, terror relegandi, ad placidiores verò, ut hilaritatem & ἀυτάρκειαν, animus adſvefaciendus.

ALVUS ſuo reſpondeat officio, vel naturâ, vel arte, ut lenientibꝰ, clyſtere, ſuppoſitorio promota. Reliquæ etiam corporis excretiones naturales in ſuo ordine ſervãdæ integræ.

VENUS moderata, ſed legitima, quia archeum reddit activiorem, non nocebit.

NAturam atque DEUM Tibi munera larga dediſſe
hoc monſtrat ſpecimen. Perge, celebris eris.

Præeximio Dn. ÆPLINIO Medicinæ Studioſo perinduſtrio de primitiis hiſce Academicis animitùs gratulaturus hæc properante calamo addere voluit

Rudolphus Wilhelmus Krauß / Phil. & Med. D.
Prof. Publ. h. t. Acad. RECTOR.

OMine dum fauſto noſtras ingreſſus Athenas
aſſiduo Phœbo ritè labore vacas,

Lau-

Laudibus eximium Te reddidit incluta virtus,
& dignam prolem Musa Salana colit.
Nunc eadem visenda magis certamine docto
promittit studiis præmia digna tuis.

Pereximio Dn. Respondenti, Medicinæ Cultori indefesso, & Dissertationis hujus Autori doctissimo, ex animo gratulor, successusq; invidendos exopto

PRÆSES.

GLoria prima tua est, didicisse fideliter artem
vincendi morbos, qui corpora nostra fatigant.
Sic auges numerum doctorum; hinc jure mereris,
ut Tibi certanti Phœbus sua præmia ponat!

Præximio Dn. ÆPLINIO,
Amico dilectissimo
de specimine erudito gratulatur

Augustinus Henricus Faschius,
D. P. P.

INcubuisse Tuis studiis, Te nocte dieque
Perstrenuè, ostendunt profectus laude ferendi;
Incubus in præsens descriptus monstrat abundè,
Te claræ magnis ausis *incumbere* famæ.

Benevolentiæ causa scr.

Christianus Sörgelius, D.Ph. J.

FIrmiter incumbis studiis, velut Incubus ægris,
Incubus incumbit laudibus inde Tuis.

Gratulab. f.

Erh. Weigelius, P.P.

SO recht/geehrter Freund/diß seynd die schönen Stuffen/
Durch welche man betritt der Kunst geheim Gemach.
Es wird die kluge Welt von dir nunmehr ausruffen:
Ihn schreibt sein eigne Hand in der Gelehrten Fach.
Wie deine Kunst dich nun ins Buch der Zeiten schreibet/
So ätzt auch sie dein Lob in das gestirnte Blat/
So bleibt dein himmlisch Thun dem Himmel einverleibet/
Und Glück und Wohlfarth hängt an einem Demant-Drat.

Mit diesen wenigen hat seinem vielgeliebten Brüderlichen Freunde glückwünschend zuruffen sollen

Johann Dörffler Anhalt. P.N.B.

INcubus existens vulgo nos creditur extra,
Dum latet illum, intus quod latet inque cute.
At Tu, qui calles causas symptomatis, istas
Tollis, & admotâ, quod gravat, arte fugas.
Quod Te cum vulgo parilis non auferat error,
Inde est, quod libris incubuisse juvat.

Pauca hæc in honorem Præstantiss. atque Eruditiss. Dn. Autoris, Contubernalis & amici mei svaviss. subj.

Daniel Henricus Ulrich Gvelpherbyt.

FINIS.